



# The Holy See

---

PIUS PP. X

EPISTOLA

**QUA PONTIFEX GAUDET DE FRUCTIBUS  
AB UNIVERSITATE STUDIORUM LAVALLIANA RELATIS\***

VENERABILI FRATRI  
LUDOVICO NAZARIO ARCHIEPISCOPO QUEBECENSI  
MAGNO CANCELLARIO UNIVERSITATIS STUDIORUM LAVALLIANAE - QUEBECUM

*Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Vehementer Nos delectarunt communes litterae, a moderatoribus Collegioque doctorum decurialium istius Universitatis datae, ac per te, Magnum Cancellarium, Nobis redditae. Ex his enim intelleximus, non modo quam studiosa vestrum omnium sit erga Pontificem Romanum pietas, sed etiam quam religiose Apostolicae Sedis documenta servetis et praescripta in negotio tanti momenti ac ponderis, quanti est recte formare et instituere in gravioribus disciplinis iuventutem. Itaque mirum non est, complures numeran in ordine vel sacro vel civili praestantes viros, qui Lavalliani nomen Instituti, cuius extitere alumni, Ecclesiae simul et civitati egregio testimonio commendent. De his operae vestrae fructibus uti vos, et quidem iure, gaudetis, ita Nos vobis gratulamur: eo magis quod in optimo proposito sic vos constare perspicimus, ut ex praeterito tempore coniiicere futurum liceat. Pergite igitur bene de Canadensi et Ecclesia et patria mereri; certum habentes, vobis cum Romani Pontificis comprobatione nec hominum proborum gratiam opesque, nec vero uberrima Dei defutura auxilia. Horum auspiciem et peculiaris Nostrae benevolentiae testem, tibi, Venerabilis Frater, et omnibus istius lycei magni moderatoribus, doctoribus, alumniis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

*Datum Romae apud S. Petrum, die II Maii MDCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.*

**PIUS PP. X**

---

\*AAS, vol. XXXIX (1906), pp. 67-68.

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana